

faciunt Calvinistae & Lutherani fere omnes: quasi vero quidam inter Lutheranos fuerint, qui Missam & offertoria pro defunctis probaverint. LINDANUS operosissimus est in *Panoplia* p. 315. ut idem de nobis pronunciet, nec non in *Stromat.* p. 57. Verum describitur EPIPHANIO Aerius velut Αριανὸς τὸ πᾶν, homo penitus Arrianus, quid itaque nobis cum illo? Euit iste cum Eustathio Monachus: Transigant itaque cum ipso, qui ejusdem sunt classis. Quod putaverit non esse offerendum pro mortuis, ipsi probro non est, nec etiam inter haereses Aerii debebat recensere EPIPHANIUS, quandoquidem sententia contraria nec ex verbo DEI probari, neque etiam consensu Ecclesiae illius seculi & piorum stabiliri potest, non itaque, nisi alia admiscuisset, erravit Aerius in eo. Quid? quod ne Aerium quidem alias inter haereticos relatum ab aliis observat Jacobus Laurentius adversus Sandaeum Apolog. p. 258. sqv. BEGUARDIS denique & BEGUINIS nos comparare velle, quod Bailius ausus, eapropter quod nolimus adorari panem in Eucharistia, non est nisi aut malitiosorum, aut rei ignororum, illi enim, cum dissoluti monachi fuerint, & nullam venerationem Sacrae actioni exhibere voluerint, ob perfectionis summae opinionem, nihil nobiscum habent commune, sed fructus potius fuerunt ex Papatu progeniti, cum quibus adversarii transigant pro arbitrio. Nos enim Christum, non panem, adorandum credimus. Conf. CALVÖR. Fiss. Sion. p. 380. & GERH. p. 1245.

### §. XXII.

Supereft doctrina de Ecclesia, in qua cardo Papatus totius vertitur, ubi facile advertit lector, nos non sine criminatione fore dimittendos. Jaciunt enim in nos nunc haeresin DONATISTARUM, quod cum Bellarminus fecit, tum operose coincere conatus est NATALIS ALEXANDER. Select. H. E.

*Sec.*